

ETYMA GRAECA

αἰβάλη· θύρα Hes. (αἰβάνη varia l.)

Vocabulum, siquidem -β- digamma reddit, cum toch. *aiw-* „sich zuwenden“ (Krause, Westtoch. Gramm. I 68 § 73), adverbio *aiwol* „zugewendet“ (ibid. § 55 Anm.) coniungi potest. Nam porta ea est, quae in cardine *vertitur*.

Βώκαρος

Apud Hesychium scriptum legimus: Βώκαρος· ποταμός ἐν Σαλαμίνι ἐκ τοῦ Ἀκάμαντος ὄρους φερόμενος. Cum vero mons Acamas in insula Cypro esset ipso Hesychio (s. v.) et Strabone (14, 682) testibus, inter voces Σαλ. et ἐκ τοῦ voces καὶ ἐν Κύπρῳ excidisse Savelsbergio (KZ. 19, 1869, 3*) visae sunt. Nam Bocarum rivus etiam in Cypro insula oriebatur, v. PWRE III 666. Nomen rivi Graeca lingua explicari non potest, nam neque Eustathii ad Il. 2, 637 explicatio, quae id ex *Βοόκαρος „*bovis caput“ existisse voluit, propter -ω- et *Bu-cephali* nomen probari potest neque nomen a thynno pisce, qui βῶξ, βόαξ etc. (cf. LSJ) vocatur, inventum est, cum thynni in flumina non innatent, sed litoribus maris tantum appropinquent. Praeterea rivus minor est quam ut greges thynnorum excipiat. Qua de re cf. Meyers Konv.-lex.⁶ 19, 512 s. v. Thunfisch: „(er) lebt in der Tiefe, nähert sich, um zu laichen, den Küsten und hält dabei . . . bestimmte Straßen ein.“

Atqui suffixum -αρο- plane perspicuum est, quamvis diiudicari non possit, utrum graecum an praehellenicum sit, qua de re cf. Schwyzer I 481 s. Igitur stirps βωκ- accipienda est, quam proxime ad vocem graecam φώκη accedere puto, sed propter B- ex *bh-* ortum nomen praehellenicum putandum est. Restat, ut nomen a phocis originem ducere monstremus.

Rivus quidem in insula Salamine invenitur. Salaminis vero et Aeginae Aeacus quondam rex fuisse dicitur (qua de re v. PWRE I 923, 12 ss.), qui tres filios habuit: Peleum, Telamonem, Phocum. Porro nomen Phoci cum nomine Phocidis conexum esse inter omnes constat. Quam terram a phocis nomen invenisse verisimillimum est, ut PWRE I A 947 docet: „Der Mythos von Phokos . . . sowie der Städtename Phokaia, Eigen-

namen wie Phokion, die Landschaft Phokis nicht zu vergessen, beweisen ein nicht seltenes Vorkommen des Tieres, nach dem jene genannt sind.“ Idem Kretschmer, Glotta 22 (1934), 255 sentit: »Φωκίς „Robbenland.“« Accedit, quod phocae ora fluminum amant, ut ex PWRE XX 500 perspicitur: „... der Seehund... auch gerne die Flußmündungen aufsucht.“ Igitur mirum non est rivum Salamine orientem a phocis nomen accepisse, cum fabula Phocum Aeginae, in insula Salamini proxima, natum esse doceat.

Ὀλβίος, Φενεός

Oppidum Pheneus situm erat in Arcadia in valle, quam Olbius et Aroanius rivi fecundabant, cf. PWRE XIX 1965, 29 ss.: „Diese beiden Bäche sind es vor allem, die mit ihren Senkstoffen den tiefsten Teil des Beckens aufgefüllt haben, zumal der Phoiniátikos (= Olbius), der... auch den fruchtbaren Mergel immer wieder über die Fläche ausbreitet.“ Itaque dubium non est, quin Ὀλβίος nomen ab ὄλβος „abundantia“ acceperit et nomen Φενεός cum voce ἄ-φεν-ος „abundantia“ coniungendum sit.

ὕλη

ὕλη „silva“ et ὕλη „lutum“ primam syllabam longam habent. Propterea eiusdem originis esse possunt, quamquam viri docti diversam stutuerunt. Etenim notio *silvae* e notione loci *palustris*, arboribus consiti, proficisci potest, cf. Buck, Synonyms 46: „Words for 'woods' are mostly from notions that were adventitiously associated, such as... once even 'swamp'...“, cuius rei exemplum est rum. *pådure*, quod e lat. *palūdem* ortum est, et alb. *pyll* eiusdem originis. Sed in ipsa lingua graeca ἔλος, ut Hofmannii verbis utar, „sumpfige, bewachsene (!) Niederung“ significat, ἐλεοπέων „Waldaufseher“ (id.) est, cum LSJ scribant: „to be warden of marshes, i. e. pastures, Rev. Phil. 8 (1934). 293 (Erythrae, IV B. C).“ Quibus ex causis vox ὕλη „silva“ a voce ὕλη „lutum“ profecta videtur.

Ljubljana.

M. Grošelj.